112

DEO OPTIMO MAXIMO UNI ET TRINO, VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ, Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis vigesimâ-septimâ mensis Febuarii, anno Domini M. DCC. LXX.

M. JOANNE-BAPTISTA-FRANCISCO DE LA RIVIERE, Consiliario Medico Regis ordinario in ejus Castelleto, Doctore Medico Præside.

An suppressis menstruis varia, pro variis symptomatibus, instituenda venæ sectio?

I.



SUPPRESSO sanguinis menstrualis effluvio plurimi nascuntur morbi miseris ægrotantibus immaturam mortem citò citiùs accersuri, nisi præsentissimum illis auxilium Medicus admoveat. Venæ sectiones ad illorum curationem felicissimo cum successu usurpandæ veniunt: at an è brachio, an è saphenâ sanguis detrahendus? Totus in eo vertitur doctrinæ cardo. Sanguinis ab utero devii promptissimam in illius vasa derivationem operandi gratiâ, saphenæ sectionem celebrabant antiqui: quæ quidem methodus illorum vota sæpè sæpiùs adimplebat. Attamen ex ipso-met *Riverii* tempore saphenæ sectionis in quibusdam circumstantiis inefficacitatem, imò & periculum, brachiique venam priùs, posteà malleoli aliquoties secandam esse jam jam agnoverant Medici. (*a*) Nostris autem temporibus quidam sunt, Medicorum nomine, nescio quâ sorte, gaudentes qui sese de numero, quocumque modo, excerpendi cupientes, venarum brachii sectionem, magno ægrotantium damno, semper & unicè præcipiunt. Quantùm à recto tramite aberrent, innumeris facilè comprobaretur exemplis! Unum duntaxat è multis eligemus. Virgo quædam sanguineâ indole donata, menstruis fluentibus propè fontem sedens, gravissima suppressionis incommoda perpessa fuit. Medicus accersitus, novitatis amore supradictorum vestigia premens, sanguinem è brachio detrahere, linteaque aquâ frigidissimâ madentia suprà infimum ventrem apponere jussit. Ingens cruoris copia istius venæ sectionis ope in pulmones affluxit; illius in uteri vasa reditus linteorum applicatione præpeditus fuit, puellaque atroces coactæ mortis dolores experiens, intrà tres horas suffocata periit. Quam igitur deploranda hujusce sæculi muliercularum sors quæ adeò inconsultè confugiunt ad illos quorum fluxa famæ gloria ephemero tantùm splendore nitet! Sed horumce pseudo-Medicorum æterni dedecoris cura illos-met ipsos maneat.

Varias sanguinis missiones diversos elicere effectus, suppressisque mensibus brachii malleolique venam, uno ferè tempore, aliquoties aperiendam esse, ratiocinio & experientiâ suffulti, demonstrare nostri est instituti.

(*a*) Ut patet è Riverii operibus. Cent. I. Obs. II. de quâ infrà dicemus.

II.

PERIODICUS mensium effluxus ad feminarum sanitatem adeò confert ut plerique hujus-ce sexûs morbi ab illius suppressione pendeant. Sanguis superfluus ex utero, singulo mense, prorumpens, in illius vasis, quâ de causâ, retentus, diversas ac plùs minùs-vè luctuosas in œconomiâ animali tragœdias agit, pro majori minori-vè diversarum quas exindè appellit partium momento. Verùm enim verò suppressis mensibus infimum ventrem obsident molesta circà regionem utèri gravitas, tormina circà umbilicum, spasticæ canalis intestinalis coarctationes, dolores lumbares acutissimi, Nephritis, suffocationes cardialgicæ; nausea vomitusque cruentus. Thoracem lacessunt præcordiorum angustiæ, dypsnæa, cordis palpitationes, pleuritis spuria, pulmonum infarctus, hæmoptysis & asthma siccum. Capiti imminent vertigines pertimescendæ, narium hemorragiæ effrenes, sanguinis-vè in cerebrum congestiones, undè pertinaces exoriuntur cephalalgiæ, cruoris extravasatio variis abscessibus ansam præbens, aliaque benè multa pessimi ominis in cerebro accidentia. Membra lassitudine spasmisque laborant. Erysipelate & ulceribus mali moris universum corpus afficitur. Ad hæc omnia obstructiones à sanguine in diversis partibus stagnante & inflammationes ab illis oriundæ quæ mirum in modum ægrotantes excruciant. Tempore quo fluunt menses, animi pathemata vel levissima, lætitia, mæror, iracundia, timor; potus aquæ frigidæ ac imprimis dùm æstuat corpus, acidorum & adstringentium abusus, incauta pediluvia & alia complura externè adhibita, salutarem hanc evacuationem sistere possunt. Quoad causas internas Plethora, sanguinis spissitudo, motus segnior, uteri vasorum imbecillitas aut ultrà tonum extensio, eumdem adhuc eliciunt effectum. Singula verò quæ menses compescere valent enarrare longius & à proposito alienum.

Tam diversorum affectuum qui suppressis menstruis succedunt mox delineatam effigiem attentè perpendenti, varias sanguinis missiones pro variis morbi symptomatibus instituendas esse jàm jàm abundè patebit. Sed ut quæstionis nostræ veritas clariori luce refulgeat, de sanguinis derivatione ac revulsione, secatâ cubiti aut malleoli venâ, pauca dicere juvat & expedit.

III.

IN quâlibet sanguinis missione tria rationum momenta consideranda veniunt. 1°. Apertâ venâ minuitur quantitas sanguinis è variis corporis partibus ad cor redeuntis; pariter ergò minuitur volumen illius qui pulsus à corde has-ce partes appellit. Hinc vasa vacuantur & exonerantur, solidorum actio vividior evadit, sanguis vegetior fluit, reserantur obstructiones sananturque inflammationes è quibus natales ducunt. Tales sunt in genere sanguinis missionum effectus. 2°. Mediante venæ aperturâ sanguis breviorem facilioremque viam habens, juxtà certiores hydrostaticæ regulas versùs venam apertam abundantiùs fluit, in hunc locum necessariò majori copiâ derivatur. 3°. Denique sanguis in unam partem copiosiùs affluere non potest quin eâdem quantitate revellatur è partibus remotis & oppositis. Omnes ergò venæ sectiones quamdam cruoris copiam evacuant, ac sub diverso respectu & relativè ad diversas corporis partes sanguinis derivationem unà & revulsionem operantur. Secatâ enim v. g. malleoli venâ tunc sanguini saphenam appellenti resistentia fit minor; fluidum illud abundantiùs derivatur in singulas partes quæ ex aortâ inferiori suum sanguinem accipiunt: undè facile videre est saphenæ sectionem nedùm tollat obstructionem cujuslibet visceris in

abdomine; eam potiùs adaugere; si quidem illius ope sanguis magis ac magis in infimo ventre coacervatur. Attamen hîc annotandum est levem duntaxat obstructionis in utero gradum sæpè sæpiùs malleoli venæ sectione tolli; quod rationi haùd dubiè consonat: minorem enim resistentiam à novo validiorique cruoris appulsu superari non mirum. At derivatus sanguis fortiorem obicem impar vincendo, partes gradu maximè intenso obstructas onerat insuper, jàmque evidentissimum vasorum dilacerationis, aut inflammationis doloribus atrocissimis stipatæ lethalisque gangrænæ periculum instat. Abdominis igitur viscere quodam intensè obstructo saphenæ sectiones admodùm nocivas esse nemo sanè Medicus inficiàs ibit. Contrà verò apertâ cubiti venâ sanguis ex abdomine revellitur, derivatur in omnes partes ab aortâ superiori irrigatas, ac eâdem proportione exonerantur illæ quas inferior alluit. Partium inferiorum vasa, sic à sanguine nimio circulationis motum præpediente exonerata, in liquidum intrà illorum cava remanentem liberiùs ac vividiùs agunt, hunc pellunt ulteriùs: circulatio de novo viget, tolliturque morbus abdomen excrucians, qui quidem ex eâdem indole morbus in cerebrum, exempli causâ, sedens, tali venæ sectione, magno cum vitæ periculo, recrudesceret.

I V.

HIS præmissis facilè dignoscetur cur & quandò suppressis menstruis alterutra sanguinis missio sit instituenda. Saphenæ sectio ab antiquis celebrata optimè conducit dùm levis, ut jam diximus, in uteri vasis obstructio, sanguini derivanti facilè cedens, mitiora tantùm symptomata parit. Non minori ægrotantium commodo præscribitur dùm sanguis ab utero devius versùs quasdam partes ab aortâ superiori irrigatas refluit: necessaria evadit si sanguis ille in cerebrum affluens, vertigines, meningum inflammationem, delirium aliaque teterrima mala producit. At licet saphenæ sectio veterum praxi commendetur, licet feliciores aliquandò exerat effectus; plurimi tamen casus occurrunt in quibus ex illâ sanguinis missione, si sola adhibeatur, gravissima sequuntur incommoda. Ad aliam igitur recurrendum est methodum certioribus de sanguinis derivatione & revulsione mox positis principiis innixam. Suppressis enim menstruis à nimio sanguine uteri vasa ultrà tonum distendente, ut pluries accidit, saphenam secando malum adaugeri necessum est. Brachii è contrà venam priùs aperiendo, revellitur ex utero sanguis, illius vasa deplentur, systalticam quâ gaudent actionem exercere valent, uno verbo tollitur obstaculum; posteàque saphenam secando, sanguis in uteri vasa derivans nullum ampliùs impedimentum reperiens, capillarium ad extremitates usque pervenit, solitisque viis foràs erumpit. Observatio sequens è *Riverii* operibus deprompta sanguinem tùm è brachio, tùm è saphenâ in illo casu detrahendum esse apprimè demonstrat. *Mulier quædam extera sanguineo temperamento donata varios affectus patiebatur à mensium suppressione præcipuè oriundos.... Petitum est consilium à Medicis Monspeliensibus per litteras. In relatione autem hoc imprimis notaverant Medici ordinarii de quo impensè mirabantur & sibi rationem reddi postulabant; quod nimirùm quoties secabatur vena malleoli menstrua cohiberentur, dùm verò è venâ brachii sanguis mittebatur; ea largiùs profluerent.... Cùm enim illa mulier plethorica esset, ac suppressionem mensium pateretur à nimiâ sanguinis copiâ, uteri vasa ità distendente ut comprimi sufficienter non valerent; attracto sanguine ad ea vasa per venarum inferiorùm apertionem, augebatur obstructio.... Ideò monebantur Medici præsentes, ut largâ phlebotomiâ*

in brachio celebratâ plethoram imminuerent : posteà verò apertis venis inferioribus sanguinem ad inferiora retraherent. . . Quod olim suadebat *Riverius*, recentiorum melioris notæ Medicorum quotidianâ praxi comprobatur. Cubiti venâ penè secatâ sanguinem derepentè ex uteri vasis manantem aliquoties ego-met ipse vidi. Ex istâ sanguinis missione Medicus talem effectum non sibi promittit. Sed uteri vasis revulsionis ope depletis, plethoræ medetur, obstructionem tollit, ac denique saphenæ sectionem præcipiendo, sanguinis menstrualis effluvium anteà cohibitum hac-ce ingeniosâ methodo provocat & restituit.

V.

OBJICIENT forsàn antiquorum praxis fautores saphenam tantùm aperiendam esse, etiàm dùm cohibentur menses à nimiâ sanguinis copiâ uteri vasa obstruente; si quidem sanguis saphenæ sectione in illa derivans, ea ità onerat ut tandem dilacerentur : disruptis vasis sanguis ex illis stillat exoptatusque ad hunc modum restituitur mensium effluxus. Sed ut peracutos dolores ex tali methodo oriundos sileamus; quodnam erit certum hujus-ce futuræ dilacerationis indicium ? Quis unquàm, vasa si reluctentur, vehementissimæ inflammationis nullis sedandæ remediis, imminentisque gangrenæ periculo non commovebitur ? Quibusdam rationum momentis si fulciri posset ridicula hæc opinio in Medicinâ novatorum qui suppressis mensibus, ut ut sint morbi symptomata, brachii venæ sectionem semper præcipiunt, in illis propugnandis libenter immoraremur. Artis verò sanioribus regulis adeò adversatur hæc infausta methodus, ut non nisi imperitis aut iis qui de ægrotantium salute parùm solliciti, quoquo pretio nomen sibi comparare cupiunt, adhiberi queat. Nobis autem cum in votis est rationi ac præsertim experientiæ unicè mancipari, saphenam quandoquè, suppressis mensibus, secandam esse; uteri verò vasis intensè obstructis sanguinem è brachio priùs, posteà è malleoli venâ citò citiùs mittendum esse contendimus sequentique conclusioni adhæremus.

Ergò suppressis menstruis varia, pro variis symptomatibus, instituenda venæ sectio !

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ludovicus-Alexander Cezan.	*M. Carolus-Nicolaus* Deslon.	*M. Stephanus* Pourfour du Petit.
M. Joannes-Baptista Langlois, *Rei herbariæ Professor designatus.*	*M. Antonius Joannes-Baptista-Maclovius* Guenet.	*M. Paschasius* Borie.
M. Henricus Raymond.	*M. Paulus-Gabriel* le Preux.	*M. Florentius-Carolus* Belot, *Professor Regius.*

Proponebat Parisiis Benjaminus-Michael SOLIER de la ROMILLAIS, Rhedonæus apud Armoricos Doctor Medicus Remensis, nec-non saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Autor.

A. R. S. H. 1770.